

## «INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

### *De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (19)*

#### **4.8. DE ARCHIABBATIA OTTILIENSI TEMPORE PRIMI BELLI MUNDANI**

##### **4.8.1. De condicionibus inter ipsum bellum**

Postquam monasterium Ottiliense in archiabbatiam euectum est, monachi non nimis diu sine perturbatione externā de novo statū gaudere potuerunt. Nam mense Augusto a. 1914<sup>1</sup> primum bellum mundanum incohatum est.<sup>1</sup> Itaque etiam archiabbatia et tota Congregatio Ottiliana sub variis aspectibus affectae erant difficilibus condicionibus miserrimis periculosisque, quae effectum exseruerunt in omnes res publicas earumque cives, qui huius contentionis participes erant.

Totā autem in Germaniā in initio belli enthusiasmus patrioticus erupit, scili-

---

<sup>1</sup> Cum in omnes quaestiones difficultatesque primi belli mundani eiusque initii hōc in conexū incumbere non possimus, tantummodo pauca puncta, quae ad initium huius belli spectant, breviter in memoriam revocare volumus: illud bellum exortum est ex controversiis, quae decursū temporis inter Germaniam eiusque socios unā ex parte et confoederationem, quae inter Francogalliam, Angliam Russiamque exstabat, eiusque civitates associatas alterā ex parte progrediebantur. Causae harum controversiarum erant multiplices et variae, sed quod Austrius princeps successor Franciscus Ferdinandus eiusque uxor die 28<sup>o</sup> m. Iun. a. 1914<sup>o</sup> in Serbicā urbe Seraio [*Sarajevo*] interficiebantur, solum erat ultimum incitamentum externum ansae. Quamvis multa conamina nonnullarum rerum publicarum facta essent, quibus conflictationem inter Austriam atque Serbiam componere voluerunt, tamen res publicae Europaeae propter foedera iam inita, propter obligationes ex illis foederibus exortas, propter omissiones atque propter declarationes nimis celeriter prolatas in illud bellum quadamtenus illapsae sunt. Nihilominus omnes hōc periculum imminens clare viderant et actionibus suis bellum fore passae sunt. - Austria Serbiae die 28<sup>o</sup> m. Iul. a. 1914<sup>o</sup> bellum indicebat, ad quod factum Russia respondit actū, quo exercituum suorum statum bellicum proclamavit. Deinde, postquam ultima postulata, quibus hic actus irritum fieri flagitabatur, ab Russiā non sunt ad effectum adducta, Germania Kal. Aug. a. 1914<sup>o</sup> Russiae bellum indixit. Die 3<sup>o</sup> m. Aug. a. 1914<sup>o</sup> belli indictio ad Francogalliam spectans sequebatur, postquam régime Francogalliae Germanica postulata ultima inacceptabilia repudiavit. Die 2<sup>o</sup> m. Aug. a. 1914<sup>o</sup> exercitus Germanicus Luxemburgum et die 3<sup>o</sup> m. Aug. a. 1914<sup>o</sup> Belgium invasit. Quod res publica Germanica statum neutralem Belgii non respexerat, Angliam adduxit, ut inde ab die 4<sup>o</sup> m. Aug. a. 1914<sup>o</sup> bellum participaret. Hunc in modum Germania, cum ius gentium rumperet, bellum indiceret atque quibusdam spatiis temporis aspectūs militares strategicosque deliberationibus politicis superponeret, speciem aggressoris praebuit, quae perceptio ei usque ad finem belli inhaerebat.

cet ab relationibus nuntiisque publicis quōque instigatus. Etiam in archiabbatiā Ottiliensi talis sensus atque effectus huiusmodi entusiasmi animadvertebatur. Postquam Kal. Aug. a. 1914<sup>o</sup> status bellicus officialiter declaratus est,<sup>2</sup> condiciones in monasterio quōque celeriter mutabantur. Nam iam die 3<sup>o</sup> m. Aug. a. 1914<sup>o</sup> opilio quidam unā cum quattuor militibus in archiabbatiam vēnit, quia ibīdem locum instituere voluerunt, quo futurorum militum exploratio medica fieret.<sup>3</sup> Ad hunc scopum aedificia scholae hiemalis atque seminarii adhibita sunt. Diebus insequentibus primi viri in vicinitate habitantes illuc contracti sunt, ut inspectione medicā factā dilectus haberetur atque ex civibus milites fierent.<sup>4</sup> His omnibus circiter duobus milibus hominum non solum locus, sed etiam cibi praebendi erant. Praeterea Patres illis diebus occupati erant in confessionibus audiendis atque in missis celebrandis. Tamen hae actiones ad milites conquirendos die 7<sup>o</sup> m. Aug. a. 1914<sup>o</sup> finiebantur.<sup>5</sup>

Nihilominus deinde condicio normalis atque quieta in monasterio non iam vigebat. Nam imprimis plures fratres conversi etiam statim ad milites convocati sunt, sed paulo post etiam multi fratres conversi et fratres clerici suā sponte atque voluntarie militiae se dederunt, cum maximā pars monachorum amore patrio correpti bellum aliquo modo participare vellent.<sup>6</sup> Patres autem,

---

<sup>2</sup> Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 139 per errorem indicat telegraphēma statum bellicum indicans die 31<sup>o</sup> m. Aug. a. 1914<sup>o</sup> ad archiabbatiam allatum esse. Tamen reactiones ad hunc nuntium idem recte primis diebus mensis Augusti attribuit.

<sup>3</sup> *Cfr* Beda DANZER: Beteiligung der Benediktinerkongregation von St. Ottilien (für auswärtige Mission) am Weltkrieg 1914-1918. St. Ottilien 1919, p. 63; Frumentius RENNERT: Mutterabtei St. Ottilien und Entfaltung der Kongregation. *In*: Frumentius RENNERT (ed.): Der fünfarmige Leuchter. II. St. Ottilien <sup>2</sup>1992, p. 25; Cyrill SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2005, p. 92.

<sup>4</sup> Beda DANZER: Beteiligung (1919), p. 63 indicat vespere diei 4<sup>i</sup> m. Aug. a. 1914<sup>o</sup> trecentos viros inspiciendos advenisse, qui numerus die 5<sup>o</sup> m. Aug. a. 1914<sup>o</sup> in nongentos septuaginta auctus est. Die 6<sup>o</sup> m. Aug. nongenti quinquaginta advēnerunt et die 7<sup>o</sup> m. Aug. denuo quadringenti quinquaginta. Cum his indiciis non ita congruunt ea, quae Frumentius RENNERT: Entfaltung. *In*: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 25 exhibet, cum idem scribat die 4<sup>o</sup> m. Aug. nongentos viros advenisse, die 5<sup>o</sup> m. Aug. octingentos quinquaginta, die 6<sup>o</sup> m. Aug. quadringentos quinquaginta. - Puto autem hōc in conexū indicia Bedae Danzer magis exacta esse.

<sup>5</sup> *Cfr* Beda DANZER: Beteiligung (1919), p. 63.

<sup>6</sup> *Cfr* Frumentius RENNERT: Entfaltung. *In*: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 25; Beda DANZER: Beteiligung (1919), p. 65.

qui directe auxilium ferre voluerunt, nomen dederunt muneri valetudinario vel officium sacerdotis militaris expleverunt.<sup>7</sup>

Perceptio rerum ergo in monasterio Ottiliensi quōque erat talis, quā putabatur condicione bellicā periculosāque esse quodammodo officium patriae debitum, quo participatio, quaecumque esset, postularetur. Omnes hanc necessitatem sequebantur, quidam vero libentissime, alii tamen non ita libenter. Dicitur autem archiabbas Norbertus Weber inclinationem habuisse, quā ipse munere civili fungens ut voluntarius ad bellum participandum exire voluisset. Tamen monachis huic incepto non faventibus Prior P. Paulus Sauter eum retinere potuisse legitur.<sup>8</sup>

Tamen in ipsā archiabbatiā Ottiliensi multa fiebant, quibus inter bellum auxilium maioris momenti ferebatur. Nam satis celeriter post bellum indictum incohatumque archiabbas Norbertus Weber ministerio rei militaris obtulit se monasterium ut valetudinarium militare, id est imprimis militibus vulneratis destinatum, institutum esse. Die autem 10<sup>o</sup> m. Aug. a. 1914<sup>o</sup> consultationes de hac re incohae sunt.<sup>9</sup> Norbertus Weber proposuerat quidem, ut et monasterii aedificia recenter exstructa et aedificium scholae hiemalis et aedificium seminarii ad hunc scopum adhiberentur, sed ministerium denique tantummodo partem monasterii atque aedificium scholae hiemalis accipere voluit.<sup>10</sup> Itaque saltem in seminario institutiones scholares

---

<sup>7</sup> Beda DANZER: *Beteiligung* (1919), pp. 4 sqq. nomina Patrum Fratrumque exhibet, qui aliquo modo bellum mundanum participaverant. Ex adnotationibus adiunctis etiam apparet, quid singuli quo spatio temporis fecerint. Itaque comperitur ex. gr. nonnullos Patres Fratresque clericos iam anno 1914<sup>o</sup> vel anno 1915<sup>o</sup> sive suā sponte sive iussi ad militaria munera valetudinaria atque sacerdotalia transiisse, nonnullos vero demum anno 1917<sup>o</sup>. Praeterea nonnulli solum ad brevius spatium temporis huiusmodi officia expleverant.

<sup>8</sup> *Cfr* Frumentius RENNEN: Norbert Weber. *In*: Adolf LAYER (ed.): *Lebensbilder aus dem Bayerischen Schwaben. II. Weißenhorn 1976*, p. 341; Frumentius RENNEN: *Entfaltung. In*: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 25; Johannes MAHR (2003), p. 139; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 92, qui etiam textum ex *Annalibus Ottiliensibus* depromptum affert, quo de hac re agitur.

<sup>9</sup> *Cfr* Beda DANZER: *Beteiligung* (1919), p. 64; Frumentius RENNEN: *Entfaltung. In*: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 25, qui praeterea diem 30<sup>um</sup> m. Aug. a. 1914<sup>o</sup> indicat; Johannes MAHR (2003), p. 139 non ita exacte scribit eodem die, quo nuntius de statu bellico allatus est, archiabbatem hanc oblationem iam exhibuisse.

<sup>10</sup> *Cfr* Frumentius RENNEN: Norbert Weber. *In*: Adolf LAYER (ed.): *Lebensbilder* (1976), p. 341; Frumentius RENNEN: *Entfaltung. In*: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 25; Johannes MAHR (2003), p. 139; Leander BOPP: *St. Ottilien - 50 Jahre Abtei. St. Ottilien 1952*, p. 60

continuari potuerunt. Sic tempore primi belli mundani magna pars archi-  
abbatiae Ottiliensis valetudinarium militare fiebat.<sup>11</sup>

Sed ut aedificia in modum nosocomii adhiberi possent, mutationes quaedam  
institutui debuerunt, ad quas faciendas quoddam spatium temporis necessarium  
erat. Itaque usque ad diem 28<sup>um</sup> m. Sept. a. 1914<sup>o</sup> monasterii pars hospitibus  
destinata in valetudinarium militare et in habitationem, quā nosocomae  
curatoresque utebantur, mutata est et usque ad Kalendas Octobres a. 1914<sup>o</sup>  
etiam nova aedificia monasterii ut nosocomium instructa erant.<sup>12</sup> Imprimis  
bibliotheca vacuefacta est, ut ibi lecti imponi possent.<sup>13</sup> Tamen etiam alii oeci



*Monasterii bibliotheca, quae in oecum nosocomii reddita est.  
[Photographēma ex archivo Ottiliensi depromptum (ASO, A.12).]*

---

[typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum]; Beda DANZER: Beteiligung (1919), p. 64.

<sup>11</sup> *Cfr* Frumentius RENNER: Norbert Weber. *In*: Adolf LAYER (ed.): Lebensbilder (1976), p. 341; Suso BRECHTER: Mönch und Missionar. Erzabt Norbert Weber OSB zum Gedächtnis. *In*: Die katholischen Missionen 75, 1956, p. 115; Chrysostomus SCHMID: Erzabt Norbert Weber. *In*: Benediktinische Monatsschrift 32, 1956, p. 221 (*cfr* Chrysostomus SCHMID: Ansprache beim Trauergottesdienst am 3. April 1956, p. 3 [ASO, A.1.8.1]); Johannes MAHR (2003), p. 139; Leander BOPP (1952), p. 60; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 92.

<sup>12</sup> *Cfr* Beda DANZER: Beteiligung (1919), p. 64.

<sup>13</sup> Beda DANZER: Geschichte der Bibliothek (1), p. 15 [manuscriptum in archivo Ottiliensi asservatum (ASO, A.12)] adnotavit die 12<sup>o</sup> m. Oct. a. 1914<sup>o</sup> bibliothecam monasterii in

conclaviaque in usum nosocomii adhibebantur. In summā in aedificio monasterii et in aedificio scholae hiemalis trecenti viginti quattuor lecti constituti erant.



*Ambulacrum ante bibliothecam situm, quo milites vulnerati versari potuerunt.  
[Photographēma ex archivo Ottiliensi depromptum (ASO, A.12).]*

Die autem 12<sup>o</sup> m. Nov. a. 1914<sup>o</sup> Ottiliense valetudinarium militare in usum adductum est,<sup>14</sup> cum tramine valetudinario, quod dicitur, primi milites vulnerati allati essent. Erant centum nonaginta tres viri illorum militum, qui in primis pugnis vulneribus plus minusve gravibus iam affecti erant.<sup>15</sup>

Ottiliensi valetudinario militari praeerat commissio administrativa, ad quam pertinebant archiabbas Norbertus Weber, quidam centurio maior nomine Götzl et medicus Dr Heinzmann. Magni autem momenti erant septemdecim sanctimoniales variis ex ordinibus exoriundae, inter quas etiam sex Benedictinae Tutzingenses erant et quae munere nosocomiarum fungebantur.<sup>16</sup> Sed


---

oecum valetudinarium redditam esse.

<sup>14</sup> Cfr Beda DANZER: Beteiligung (1919), p. 64; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (2<sup>o</sup>1992), p. 26.

<sup>15</sup> Temporibus insequentibus in periodico, c.t. «Paginae missionariae» atque in Chronicis Ottiliensibus iterum iterumque de traminibus valetudinariis deque militibus vulneratis recenter allatis refertur.

<sup>16</sup> Cfr Beda DANZER: Beteiligung (1919), p. 64; Leander BOPP (1952), p. 60.



*Unum ex illis traminibus valetudinariis,  
quae ad stationem Ottiliensem advenire solebant.*

*[Photographēma ex archivo Ottiliensi depromptum (ASO, A.12).]*

etiam nonnulli Patres Fratresque in nosocomio auxilium tulerunt. Imprimis ipse archiabbas Norbertus Weber valde vehementerque incumberebat in opera radiologica,<sup>17</sup> cum per totum tempus bellicum paene cottidie instrumento radiologico specialiter allato usus indefatigabiliter inquisitiones necessarias faceret.<sup>18</sup> Etiam si non omnibus monachis Ottiliensibus creberrimi labores,

---

<sup>17</sup> Quod Norberti Weber quaestiones scientiarum naturalium generaliter intererant, apparet etiam ex symbolā, quam in periodico, q.e. «Paginae missionariae», divulgaverat et quae tamquam fructus laborum suorum practicorum percipi potest. *Cfr* Norbert WEBER: Die Röntgenstrahlen und ihre Verwendung im Kriege. *In*: Missionsblätter 19, 1915, pp. 229 sqq.

<sup>18</sup> *Cfr* Chron. Ottil. m. Nov. a. 1914; Beda DANZER: Beteiligung (1919), p. 64; Frumentius RENNER: Norbert Weber. *In*: Adolf LAYER (ed.): Lebensbilder (1976), p. 341; Suso BRECHTER: Mönch und Missionar. *In*: Die katholischen Missionen 75, 1956, p. 115; Chrysostomus SCHMID: Erzabt Weber. *In*: Benediktinische Monatsschrift 32, 1976, p. 221 (*cfr* Chrysostomus SCHMID: Ansprache (1956), p. 3 [ASO, A.1.8.1]); Frumentius RENNER: Entfaltung. *In*: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 26; Leander BOPP (1952), p. 60; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 93, qui praeterea de narratione mirā refert, quā mense Novembri a. 1917<sup>i</sup> querelae episcopo Maximiliano von Lingg allatae sunt archiabbatem etiam muliebria corpora non vestita radiologice inquirere eumque in sectionibus quōque chirurgicis mulierum munere assistentis fungi. Cum episcopus de hac re interrogaret,

quos archiabbas in nosocomio exanclaret, placuerunt, tamen idem propter merita sua hōc in conexū acquisita die 8<sup>o</sup> m. Ian. a. 1916<sup>o</sup> Bavaricā cruce Regis Ludovici et die 12<sup>o</sup> m. Ian. a. 1916<sup>o</sup> Borussiae nomismate Crucis Rubrae honoratus est.<sup>19</sup>

Primo autem bello mundano per complures annos Ottilianorum opera genuina ad missionem spectantia paene omnino exstinguebantur.<sup>20</sup> Plurimi Fratres conversi sive suā sponte sive coacti militiam susceperant, etiam Fratres clerici atque nonnulli Patres imprimis ut valetudinarii atque sacerdotes militares saltem ad tempus quoddam munere extra monasterium fungebantur.<sup>21</sup> Hunc in modum archiabbatia, quod attinet ad monachos satis vacuefacta erat. Reliqui vero occupati erant laboribus in Ottiliensi nosocomio militari exanclandis,



*Archiabbas Norbertus Weber  
in oeco radiologico versatus.  
[Photographēma ex archivo Ottiliensi  
depromptum (ASO, A.12).]*

---

Norbertus Weber explicuit huiusmodi condiciones ex inopiā auxiliatorum auxiliatricumque exortas esse, se vero in futurum tales actiones non iam participaturum esse, quamvis medici hōc verisimiliter non intellexerent.

<sup>19</sup> *Cfr* documenta in archivo Ottiliensi asservata (ASO, A.1.8.1). - *Cfr* etiam Chron. Ottil. m. Ian. a. 1916. - Ceterum etiam P. Paulus Sauter, qui illo tempore Subprior erat, mense Augusto a. 1916<sup>i</sup> propter merita sua de valetudinario militari Bavaricam crucem Regis Ludovici accepit. *Cfr* Missionsblätter 21, 1916/17, p. 15.

<sup>20</sup> Tamen nonnulli Patres Ottiliani adhuc domi versantes saepius itinera ad urbes imprimis Germanicas fecerunt, ut ibidem acroasibus relationibusque cogitationes missionarias spargerent et opera missionaria propagarent deque eis rationem redderent. Talia non solum in Chronicis Ottiliensibus saepius leguntur, sed etiam ex. gr. commemorat Joseph SCHMIDLIN: Die Missionen im gegenwärtigen Weltkrieg. In: Zeitschrift für Missionswissenschaft 6, 1916, pp. 38, 136, 220, 311. - Inter illos, qui huiusmodi orationes habuerunt, commemorantur archiabbas Norbertus Weber, P. Placidus Vogel abbas Suarzacensis, P. Maurus Galm, P. Meinulf Küsters, P. Laurentius Kilger, P. Linus Leberle, P. Dominicus Enshoff.

<sup>21</sup> Secundum indicem, quem Beda DANZER: Beteiligung (1919), pp. 4 sqq. exhibet, numerantur tredecim Patres et viginti septem Fratres clerici.

agris colendis vel etiam institutionibus scholaribus exhibendis.<sup>22</sup> Etiam si labores in nosocomio militari erant necessarii, utiles atque signum caritatis, tamen Ottiliense valetudinarium militare archiabbatiae erat magnum onus, non solum quia plurimas vires consumpsit, sed etiam quia archiabbatia magnam partem sumptuum erogare debuit.



*Vulnerati in oeco quodam valetudinarii Ottiliensis curantur.  
[Photographēma ex archivo Ottiliensi depromptum (ASO, A.12).]*

Enthusiasmus vero bellicus patriusque, qui primis annis belli variis modis interdum miris monstrabatur exhibebaturque, decursū temporis valde minutus est, cum onera monasterio imposita augerentur et cum propter oeconomiam rei publicae debilitatam inopiae maiorarentur et cum plures pluresque confratres in bello morerentur et cum vita spiritalis magis magisque immiueretur. Sobrietas quaedam denuo exorta est et omnes finem belli valde exoptabant desiderabantque.

Certe etiam Norbertus Weber ethusiasmo quodam correptus erat, quā de causā omnia, quae ab ipso atque ab monachis Ottilianis ad patriam sustentandam fieri potuerunt, etiam facere et officia obligationesque susceptas usque ad finem ducere voluit. Tamen sicut digna mihi esse videtur epistula, quam Norbertus Weber iam in initio mensis Novembris a. 1914<sup>i</sup> ad Abbatem

---

<sup>22</sup> Etiam si seminarium non clauderetur atque institutiones quadamtenus regulariter fiebat, tamen etiam in scholā condiciones perturbatae erant, quia multi alumni natū maiores quōque militiae se dederant.



Primates Fidelem von Stotzingen direxerat.<sup>23</sup> Nam ibidem nonnullas sententias protulit, quibus apparet ipsum difficultates exstantes atque futuras satis clare vidisse. Praeter alia enim scripsit omnes monachos, cum centum viginti alumni in seminario essent atque valetudinarium brevi post institutum iri



*Pars conventūs Ottiliensis anno 1914<sup>o</sup> recepti.  
[Beda DANZER: Beteiligung (1919), p. 16.]*

expectaretur, satis superque labores habere et se plura atque nova ab eis non iam postulare posse. Tempora esse difficilia et se nulla consilia capere, quid bello finito fieret. Tempore autem belli archiabbatiae etiam crasim pecuniariam exoriri, quae paulatim iam sentiretur. Expectavit vero Norbertus Weber iam mense Novembri a. 1914<sup>i</sup> regiones missionarias bello horribiliter affectum iri atque detrimenta accepturas esse et se iam primos nuntios inde allatos timere. Insuper deliberavit, quot et quanta iacturae hominum expectandae essent, et praevidit omnia opera missionaria effectū belli perdita fore. - Realitatem factorum et effectum eventuum futurorum perspexerat Norbertus Weber et de entusiasmo in illā epsitulā nihil animadvertitur.

Cum autem bellum revera ad finem vergere perciperetur, omnes suspiria liberationis duxerunt atque scilicet preces gratiarum fuderunt.<sup>24</sup> Ottiliense nosocomium militare partim iam mense Ianuario a. 1918<sup>i</sup> dissolvebatur, id

---

<sup>23</sup> Cfr Norberti Weber epistula die 4 m. Nov. a. 1914 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1. (Asien)).

<sup>24</sup> Indutiae factae sunt die 11<sup>o</sup> m. Nov. a. 1918<sup>o</sup> Compendii [Compiègne] et pacis pactiones cum Imperio Germanico Versaliis [Versailles] factae sunt die 28<sup>o</sup> m. Ian. a. 1919<sup>o</sup>.

est illa pars, quae locum in aedificio ipsius monasterii habuit.<sup>25</sup> Ibīdem autem statim opera restaurandi, quibus damna nosocomio allata reficerentur, inco-hata sunt.<sup>26</sup> Valetudinarii pars, quae in aedificio scholae hiemalis restabat, denique die 10<sup>o</sup> m. Ian. a. 1919<sup>o</sup> dissolvebatur.<sup>27</sup> Quales labores et quales expensae pecuniariae fuerint, imaginari possumus ex nonnullis numeris indicatis. Sic ex. gr. refertur in summā quattuor milia octingentos septemdecim vulneratos in nosocomio Ottiliensi curatos esse, ex quibus tantummodo viginti quinque ibīdem vitā functi sunt.<sup>28</sup>

Magna autem calamitas monasterio Ottiliensi erat in eo, quod multi monachi, qui bellum participaverant, non iam revertērunt, cum vitā functi essent.<sup>29</sup>

---

<sup>25</sup> *Cfr* Chron. Ottil. m. Ian. a. 1918; Leander BOPP (1952), p. 60; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 93; Beda DANZER: *Beteiligung* (1919), p. 65 diem 10<sup>um</sup> m. Ian. a. 1918<sup>o</sup> indicat, Johannes MAHR (2003), p. 140 scribit fuisse die 31<sup>o</sup> m. Ian. 1918<sup>o</sup>. - Beda DANZER: *Geschichte der Bibliothek* (1), p. 16 (ASO, A.12) scribit aestate a. 1919<sup>i</sup> nosocomium in ipso monasterio institutum dissolutum esse.

<sup>26</sup> Hoc commemoratur in Chron. Ottil. m. Febr. a. 1918.

<sup>27</sup> *Cfr* Chron. Ottil. m. Ian. a. 1919, ubi etiam de sollemnitate cum reliquis vulneratis habitā refertur. Iidem autem ad aliud nosocomium militare transportati sunt. - *Cfr* etiam *Missionsblätter* 23, 1918/19, p. 95; Beda DANZER: *Beteiligung* (1919), p. 65.

<sup>28</sup> *Cfr* Chron. Ottil. m. Ian. 1919; *Missionsblätter* 23, 1918/19, p. 95; Leander BOPP (1952), p. 61; Beda DANZER: *Beteiligung* (1919), p. 64, qui etiam alios numeros statisticos exhibet.

<sup>29</sup> Perturbatio quaedam exoritur, cum numeri in libris indicati illorum spectentur, qui ob causas bellicas vitā functi sunt. Nam Frumentius RENNERT: *Entfaltung. In: Leuchter II* (1992), p. 26 scribit fuisse in summā triginta unum monachos in bello interfectos, inter quos erant septem clerici duosque novitii, duodeviginti fratres conversi atque quattuor novitii fratrum; praeterea quattuordecim alumnos in bello cecidisse. Alio autem loco īdem scribit in summā quadraginta duos monachos interfectos esse, inter quos tredecim clerici fuerunt (Frumentius RENNERT: *Die Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Ulrich FAUST / Franz QUARTAL* (edd.): *Germania Benedictina. I. Die Reformverbände und Kongregationen der Benediktiner im deutschen Sprachraum. St. Ottilien 1999*, p. 808.). Leander BOPP (1952), p. 61 etiam de triginta uno monachis interfectis scribit, sed ille sex clericos tresque novitios, undeviginti fratres conversos atque tres novitios fratrum numerat; numerus alumnorum tamen est īdem, id est quattuordecim indicantur. Beda DANZER: *Beteiligung* (1919) omnino alios numeros exhibet et insuper tribus locis diversos. Nam p. 66 summam scribit in bello cecidisse septemdecim clericos atque quadraginta fratres conversos, praeterea duodetriginta alumnos. Tamen pp. 61 sq. indicem illorum exhibet, qui in bello ceciderunt. Cum singuli numerentur, sunt duodecim clerici, duodetriginta fratres conversi atque quattuordecim alumni. Sed pp. 4 sqq. Beda Danzer omnes monachos alumnosque, qui bellum participaverunt, singillatim

Haec condicio, quā tot confratres morte amissi sunt, erat satis amara. Tamen bello finito de temporibus futuris denuo cogitandum erat.

#### **4.8.2. De effectibus belli atque de condicionibus bello finito**

##### ***4.8.2.1. De condicionibus in regionibus missionariis***

###### ***4.6.2.1.1. De Africa orientali***

Etiam regiones missionariae, in quibus Ottiliani operabantur, bello mundano graviter affecti erant. Hoc imprimis spectabat ad Africam orientalem, cum ibīdem esset una ex coloniis Germanicis.

Iam die 5<sup>o</sup> m. Aug. a. 1914<sup>o</sup> status bellicus Germanicae coloniae Africae orientalis declarabatur.<sup>30</sup> Itaque, quamvis distantia ab Germaniā Europāque esset satis magna, exercitus tutelaris, qui dicebatur, conclamabatur, ut in procinctū esset, et copiae ad coloniam defendendam instruebantur.<sup>31</sup> Etiam missionarii non erant exclusi. Nam ex duodesexaginta fratribus conversis,

---

enumerat eorum sortem indicans. Cum inde depromamus in bello vitā functos, evenit fuisse octo clericos, viginti quattuor fratres conversos et tredecim alumnos.

<sup>30</sup> Hunc terminum etiam commemorat Thomas Spreiter in notitiis diariformibus, 5.8.1914 (ASO, A.1.8.1).

<sup>31</sup> Eodem die Anglia se bellum participaturam esse declaraverat. In Germaniā régimen putaverat colonias Germanicas non fore locum belli. Etiam cives in colonia Africae orientalis, quamvis maiore ex parte modo nationali atque conservativo sentirent, bellum omnino non desideraverunt et potius statum neutralem praetulerunt. Similiter cogitavit gubernator quōque illius coloniae Henricus [*Heinrich*] Schnee, qui - sicuti nonnulli alii responsales illius regionis - variis ex causis bellum coloniis Germanicis nihil prodesse putavit, ad quas causas praeter alia etiam adnumeravit Germanos ab patria seclusos numero multo maiori adversariorum diu resistere non posse. Tamen, postquam Britannicae naves bellicae impetum in urbem Daressalam fecerunt, generalis Paulus von Lettow-Vorbeck, qui exercitui tutelari praeerat, quasi suā sponte actiones militares incohavit, quamquam Henricus Schnee, qui, cum esset gubernator coloniae, officialiter eius praepositus erat, adhuc solutiones magis pacificas quaesivit.

*Cfr* ex. gr. Michael PESEK: Das Ende eines Kolonialreiches. Ostafrika im Ersten Weltkrieg. Frankfurt/M / New York 2010, pp. 41 sqq., 207 sqq.; Hans KRECH: Die Kampfhandlungen in den ehemaligen deutschen Kolonien in Afrika während des 1. Weltkrieges (1914-1918). Berlin 1999, pp. 39 sqq.; Jan ESCHE: Koloniales Anspruchsdenken in Deutschland im Ersten Weltkrieg, während der Versailler Friedensverhandlungen und in der Weimarer Republik (1914 bis 1933). Diss. Hamburg 1989, pp. 27 sqq.; Brian DIGRE: Imperialism's New Clothes. The Repartition of Tropical Africa, 1914-1919. New York / Bern 1990, pp. 29 sqq. - *Cfr* etiam Heinrich SCHNEE: Die deutschen Kolonien vor, in und nach dem Weltkrieg. Leipzig 1935, pp. 41 sqq.

qui in Vicariatū Apostolico Daressalamensi et in Praefecturā Apostolicā Lindiensi versabantur, triginta quinque ad arma vocati sunt.<sup>32</sup> Erat ergo maior pars eorum, qui ab operibus missionariis detracti sunt. Patribus quidem labores consuetos continuare licuit, tamen unā ex parte numero fratrum minuto condicio difficilior reddita est, alterā ex parte etiam administratio Germanica exspectabat missionem in exercitū coloniali sustentando auxilium ferre (ex. gr. victū praebendo).

Tamen primo belli tempore missionarii de operibus suis nondum solliciti erant. Sed haec condicio satis celeriter mutata est. Nam effectūs belli etiam in colonia pauultim animadvertentur. Primus autem effectus satis garvis erat in eo, quod contactus inter Germaniam et coloniam interrompebatur.<sup>33</sup> Hunc in modum non solum nulla subsidiaria sive civilia sive militaria in

---

<sup>32</sup> *Cfr* Godfrey SIEBER: Die Benediktinermission in Ostafrika während und nach dem 1. Weltkrieg. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 293; Godfrey SIEBER: The Benedictines of Inkamana. St. Ottilien 1995, p. 8, qui utroque loco numerum triginta quinque fratrum conversorum indicat. Beda DANZER: Die Benediktinerregel in der Übersee. St. Ottilien 1929, p. 80 et Beda DANZER: Beteiligung (1919), p. 66 scribit ex quinquaginta duobus fratribus conversis sedecim ad arma convocatos esse; Johannes MAHR (2003), p. 139 dimidiam partem fratrum laicorum milites fuisse existimat; Frumentius RENNER: Die Benediktinermission in Ostafrika - eine Überschau. *In*: Leuchter II (2<sup>o</sup>1992), p. 139 maiorem partem fratrum laicorum ad arma convocatos esse scribit; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation. *In*: Ulrich Faust / Franz Quartal (edd.) (1999), p. 809 solum de facto ipso sine numero indicato refert.

<sup>33</sup> Illi, qui in ipsis coloniis operabantur atque ibidem responsales erant, mirum in modum de coloniarum participatione belli similiter sensisse videntur. Nam etiam ex. gr. Henricus [*Henry*] Conway Belfield, gubernator coloniae Anglicae, cogitationem, quā in colonia bellum geritur, omnino non aestimavisse dicitur. Tamen régime Angliae alias deliberationes aliosque scopos habuit. Nam ibidem timor quidam valebat, ne Germani ex portibus praesertim Africae orientalis praevalentiam marinam Britannorum perturbarent atque coniunctionem cum India intercluderent. Praeterea imprimis Angli timuisse videntur, ne Germani sumptibus aliarum rerum publicarum Europaeorum territorium suum in Africa violenter extenderent hunc in modum «Africanum imperium coloniale» sibi conquirentes, quo securitatem Britanniae afficerent. Videntur autem in Germaniā cogitationes quaedam huiusmodi exstitisse, etiamsi illi, qui de tali imperio somniaverunt, non intellexerant hoc esse supra vires Germanorum. Itaque propter timores et ad haec pericula vitanda res publicae contra Germaniam eiusque socios cunitae bellum ad colonias quoque extendere iam satis mature decreverant.

*Cfr* ex. gr. Roger LOUIS: Das Ende des deutschen Kolonialreiches. *Britischer Imperialismus und die deutschen Kolonien 1914-1919*. Düsseldorf 1971, pp. 39 sqq.; Hans KRECH (1999), pp. 6 sqq.; Jan ESCHE (1989), pp. 37 sqq.; Brian DIGRE (1990), pp. 10 sqq., 85 sqq.

coloniam transportari potuerunt, sed etiam missionarii nullas res nullamque pecuniam iam acceperunt neque novi missionarii ex patria regionem Africam adire valuerunt. Insuper commercium epistulare maximā ex parte interrumpebatur, quā de causā nuntii sive numquam sive valde retardati sunt allati.<sup>34</sup> Propter statum bellicum cives coloniae et sic missionarii quōque saepe variis postulatis administrationis Germanicae molestati sunt.<sup>35</sup> Etiam condiciones, quae spectabant ad cibos acquirendos et ad pretia aucta, paulatim peioratae sunt. Nihilominus, etiamsi condiciones externae difficiles erant, missionarii primis annis belli oeconomice aliquatenus bene se habebant.<sup>36</sup>

Sed difficultates decursū temporis magis magisque auctae sunt. Medio anno 1916<sup>o</sup> impetus coniunctus incohabatur, quo copiae Anglicae atque Belgicae et copiae Africae meridionalis coloniam Germanicam Africae orientalis subicere conabantur.<sup>37</sup> Itaque paulatim et gradatim tota colonia in dicionem rerum publicarum associatarum vēnit.<sup>38</sup> Die autem 26<sup>o</sup> m. Iul. a. 1916<sup>o</sup> prima statio missionaria Benedictinorum capta est Madibira.<sup>39</sup> Aliae deinde una

---

<sup>34</sup> De hac condicione Thomas Spreiter in epistulis suis et in notitiis diariformibus saepe queritur. Iterum iterumque idem etiam rumores commemoravit, qui de quibusdam rebus exorti erant, et saepe talibus rumoribus diffidit dubitationesque suas subiunxit.

<sup>35</sup> Sic ex. gr. Thomas Spreiter in notitiis diariformibus, 16.8.1916 (ASO, A.1.8.1) adnotat haec: «*Commissio motra nostra inspicit, cum omnes machinae delebuntur. Cur? Hunc in modum tamen potius illis, qui remanent, nocetur quam Anglis.*» - Textus originaliter Theodiscus.

<sup>36</sup> Haec condicio aliquatenus opportuna cohaerebat cum praedio rustico in loco Simbasi sito. Nam ex. gr. Thomas Spreiter in epistolā die 14<sup>o</sup> m. Mart. a. 1919<sup>o</sup> ad Bonifatium Sauer directā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19) scripsit haec: «*Nisi oeconomia nostra Simbasi fuisset, vivere non potuissemus. Haec erat sors nostra bona. Ex ea vivere potuimus et iis, quae vendidimus, mercedes solvere potuimus.*» - Textus originaliter Theodiscus.

Cfr etiam Adelrich MÜHLEBACH: Benediktinermission in Ostafrika (1928), p. 201.

<sup>37</sup> Cfr Michael PESEK (2010), pp. 71 sqq.; Hans KRECH (1999), pp. 50 sqq.; Roger LOUIS (1971), pp. 55 sqq.; Brian DIGRE (1990), pp. 30 sqq.; Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 9.

<sup>38</sup> Die 6<sup>o</sup> m. Dec. a. 1917<sup>o</sup> officialiter nuntiatum est totā in coloniā Germanicā Africae orientalis non iam ullas copias Germanicas versari.

<sup>39</sup> Cfr Thomae Spreiter notitiae diariformes, 9.8.1916 (ASO, A.1.8.1) (qui nuntium retardato modo accepit). - Cfr Beda DANZER: Benediktinerregel (1929), p. 80; Adelrich MÜHLEBACH: Die Benediktinermission in Ostafrika nach dem Weltkrieg. In: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, p. 201; Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 9; Godfrey

post alteram sequebantur. Monachi vero atque sorores, qui quaeve ibidem operabantur, ablati sunt atque in castris militaribus ut captivi congregati sunt. Tamen haec sors non solum missionariis Benedictinis erat, sed etiam omnibus aliis missionariis Germanis sive catholicis sive protestanticis, et reliquis quōque civibus nationis Germanicae.

Die 4<sup>o</sup> m. Sept. a. 1916<sup>o</sup> copiae Anglicae etiam urbem Daressalam occupaverunt.<sup>40</sup> Itaque gubernator militaris Anglus administrationem urbis atque regionis occupatae suscepit. Ex illo tempore etiam episcopus Thomas Spreiter in custodiā domesticā retinebatur et omnia opera missionaria ei interdicta sunt.<sup>41</sup> Etiam si episcopus Vicariatum suum non iam revera administrare valuerat neque Benedictini Germani opera missionaria facere potuerant, tamen Thomae Spreiter spatium temporis laboriosissimum sequebatur. Nam ad unamquamque annuntiationem officialem atque ad unumquodque decretum Anglicum aliquo modo reagere debuit et ipse quōque multas rogationes petitionesque ad administrationem Anglicam direxit, cum his omnibus in rebus ageretur de sorte saluteque missionariorum praesentium (etiam sororum) et etiam de sorte futurā regionis missionariae.<sup>42</sup> Modus autem, quo commercium sive personale sive scriptum inter Anglos atque Thomam Spreiter instituebatur, magnā ex parte rationabilis atque interdum etiam affabilis fuisse videtur,<sup>43</sup> quamvis ad plerasque petitiones responsum negati-

---

SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 299 sq., qui etiam indicat, quae statio quo die occupata sit. Ultima autem statio Benedictina, quae in manūs adversariorum cecidit, erat Ndanda in Praefecturā Apostolicā Lindiensi sitā. Eadem die 10<sup>o</sup> m. Nov. a. 1917<sup>o</sup> occupata est.

<sup>40</sup> Hōc factum atque hunc terminum etiam Thomas Spreiter in notitiis suis diariformibus die 4<sup>o</sup> m. Sept. a. 1916<sup>o</sup> scriptis commemorat (ASO, A.1.8.1).

<sup>41</sup> *Cfr* Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 299; Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 10; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1939, p. 52; Adelrich MÜHLEBACH: Benediktinermission in Ostafrika (1928), p. 202; Godfrey SIEBER: Bischof Thomas Spreiter. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 348.

<sup>42</sup> Ex Thomae Spreiter notitiis diariformibus illorum annorum (ASO, A.1.8.1) iam apparet, quid fecerit, qualia conamina exhibuerit, quot petitiones scripserit, quot colloquia cum responsalibus superioribus aliisque habuerit.

<sup>43</sup> *Cfr* ex. gr. Thomae Spreiter commentarium in notitiis diariformibus (ASO, A.1.8.1), quo idem die 5<sup>o</sup> m. Sept. a. 1916<sup>o</sup> scripsit se apud militarem praefectum urbis fuisse eumque serio, sed affabiliter se gessisse atque concessisse, ut Fr. Villigis maneret atque ut Benedictinis scholas suas externas vistare liceret atque ut Thomae Spreiter ipsi ex

vum allatum esset. Scilicet multis in quaestionibus perceptio rerum fundamentaliter alia inter illos vigeat, quae condicio etiam cum bello, eiusque exitū atque scopis regiminis Angliae cohaerebat.

Condiciones autem magis difficiles redditae sunt, cum die 30<sup>o</sup> m. Dec. a. 1916<sup>o</sup> officialiter annuntiatum esset secundum decreta Anglici ministerii rei militaris omnes Germanas mulieres liberosque atque omnes viros plures quam quadraginta quinque annos habentes, qui bellum activo modo non participaverunt, in Germaniam missum iri, omnes viros pauciores quam quadraginta quinque annos habentes, qui adhuc ad militiam apti essent, atque omnes pristinos milites Germanos tractatum iri ut captivos atque in castra militaria congregatum iri.<sup>44</sup> Die 31<sup>o</sup> m. Dec. a. 1916<sup>o</sup> deinde sequebatur decretum, quo constitutum erat, ut omnes missionarii quōque Germani ex territorio occupato Africae orientalis amoverentur.<sup>45</sup> Hoc decretum etiam ad missionarios protestanticos spectabat. Cum episcopus Thomas Spreiter bene intellexeret, si hōc decretum omnino ad effectum adduceretur, eodem sequelas perniciosas Africanæ missioni Benedictinae instare, īdem Kalendis Ianuariis a. 1917<sup>o</sup> statim contra hōc decretum epistulariter reclamavit.<sup>46</sup> Nam putavit amotionem missionariorum catholicorum ex regione, quae eis ab Vaticano tradita erat, esse iniuriam erga ecclesiam atque impetum in auctoritatem papae. Sed reclamatio frustra erat prolata. Die 4<sup>o</sup> m. Ian. a. 1917<sup>o</sup> responsum administrationis Anglicae allatum est, quo generalis W.F.S. Edwards nuntiavit se hac in re omnino nihil facere posse, cum ageretur de

---

causis ecclesiasticis epistulas Romam et in Helvetiam mittere liceret.

<sup>44</sup> *Cfr* Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), pp. 10 sq., qui etiam huius decreti textum ex diario Thomae Spreiter depromptum exhibet. - *Cfr* etiam Thomae Spreiter notitiae diariformes (ASO, A.1.8.1) diebus 26.12.1916, 27.12.1916, 30.12.1916 scriptae. - *Cfr* Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 316; Godfrey SIEBER: Der Aufbau der katholischen Kirche in Zululand. Von den Anfängen bis zur Gegenwart. Münsterschwarzach 1976, p. 57.

<sup>45</sup> *Cfr* Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 11.

<sup>46</sup> *Cfr* Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), pp. 11 sq., qui etiam huius epistulae textum ex diario Thomae Spreiter depromptum affert. - *Cfr* etiam Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 317; Godfrey SIEBER: Zululand (1976), p. 57.

Tamen Thomas Spreiter iam die 29<sup>o</sup> m. Dec. a. 1916<sup>o</sup> totum commercium epistulare, quod per decem annos congestum erat, combussit, quia noluit īdem in manū aliorum incidere. - *Cfr* Thomae Spreiter notitiae diariformes, 29.12.1916 (ASO, A.1.8.1).

decreto regiminis Britannici.<sup>47</sup>

Rebus sic stantibus Benedictinis non iam multa restare videbantur. Tamen episcopus Thomas Spreiter pro missionariis suis atque pro Vicariatū suo pugnare non desiit. Nam imprimis missionarii, qui captivati erant et ut Germani hostiles in castris militaribus versabantur, ei curae erant. Iterum iterumque conatus erat eos ad custodiam saltem domesticam liberare, eis auxilium ferre, eos visitare. Interdum autem talia licentiā speciali acquisitā ei contigerunt. Sed generaliter solum pauci Benedictini in Africā orientali remanserunt. Sors enim reliquorum erat in eo, quod ex Africanis castris transitoriis sive statim in patriam sive ad locum Tangam vel in Indiam sive in Aegyptum missi sunt.<sup>48</sup> Plerique autem Benedictini in Aegyptum transportati sunt, ubi maior pars eorum in castris Sidi Bishr in Aegypto inferiore situs<sup>49</sup>

---

<sup>47</sup> *Cfr* Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 13, ubi etiam textūs epistulae generalis W.F.S. Edwards invenitur. - *Cfr* etiam Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 318; Godfrey SIEBER: Zululand (1976), p. 57.


Ceterum Thomas Spreiter in reclamatione suā questus erat decretum missionariorum amovendorum esse contra Acta Congoica atque contra Conventionem Hagensem. Responsum autem Anglicum erat in eo, quod Germania bellum incohans utrumque pactum violavisset, quā de causā illa pacta non iam valerent.

<sup>48</sup> *Cfr* Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 305; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermisionäre (1939), p. 50; Frumentius RENNERT: Benediktinerkongregation. *In*: Ulrich FAUST / Franz QUARTAL (edd.) (1999), p. 809; Godfrey SIEBER: Entwicklung der Zulumission. *In*: Leuchter IV (1993), p. 2; Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 20.

<sup>49</sup> Sidi Bishr erant castra, quae imprimis hominibus destinata erant, qui munere ecclesiastico fungebantur. Ex Benedictinis Ottilianis ibidem undecim Patres, unus Frater clericus et undecim Fratres laici inclusi erant. - *Cfr* index omnium captivorum, quem Beda DANZER: Beteiligung, pp. 58 sqq. exhibet. - Plerique autem captivorum missionariorum indutiis factis ex omnibus castris in patriam remissi sunt.

Cum nonnulli ex Benedictinis bello finito ex Aegypto in Africam reverti vellent, Thomas Spreiter eis respondit, ut ad recreationem mentis corporisque in patriam redirent (id quod eis iam illo tempore mandaverat, quo in Aegyptum transportati sunt). Iam mense Decembri a. 1917<sup>i</sup> Thomas Spreiter officialem nuntium acceperat, quo missionariis non Anglis Africam orientalem intrare non licuit. - *Cfr* Thomae Spreiter epistula die 6<sup>o</sup> m. Ian. a. 1919<sup>o</sup> ad Norbertum Weber directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5); Thomae Spreiter epistula die 5<sup>o</sup> m. Iun. a. 1919<sup>o</sup> ad Bonifatium Sauer directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19).





*Benedictini Ottiliani in castris Sidi Bishr.  
[Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika (2003), p. 304.]*

vitam degebant.<sup>50</sup>

---

<sup>50</sup> Quaedam res hōc in conexū commemorandae sunt. Nam unā ex parte ex commercio epistulari Thomae Spreiter cum Norberto Weber et cum Bonifatio Sauer apparet in castris Sidi Bishr quasdam cogitationes exortas esse, quibus «principia Congregationis» addubitarentur atque mutarentur. Scripserat enim Praefectus Apostolicus Lindiensis Villibrordus Lay, qui etiam illis in castris versabatur, ad Thomam Spreiter (et etiam ad nonnullos alios velut archiabbatem Norbertum Weber atque abbatem Bonifatium Sauer) quosdam Patres iuniores putare momentum non iam ita in abbatiis condendis ponendum esse, quibus nimia vis vitalis abstraheretur, quae in ipsā missione amitteretur. Ottilianos non ea de causā fundatos esse, ut se extenderent tamquam Benedictinos, sed tamquam missionarios. Non autem manifestatur, qui illi «patres iuniores» fuerint. Ipse Thomas Spreiter eodem modo ac Norbertus Weber et Bonifatius Sauer huiusmodi cogitationes refutabant atque dixerunt principia Congregationis tangere non licere. Aliquo loco Thomas Spreiter etiam opinionem profert miras cogitationes exoriri, si quis in castra inclusus ad nihil faciendum damnatus esset. - *Cfr* epistula Thomae Spreiter die 10<sup>o</sup> m. Dec. a. 1919<sup>o</sup> ad Norbertum Weber directa; epistula Norberti Weber die 20<sup>o</sup> m. Ian. a. 1920<sup>o</sup> ad Thomam Spreiter directa (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5); epistula Thomae Spreiter die 9<sup>o</sup> m. Dec. a. 1919<sup>o</sup> ad Bonifatium Sauer directa; epistulae Bonifatii Sauer ad Thomam Spreiter diebus 15<sup>o</sup> m. Ian. a. 1920<sup>o</sup> et 5<sup>o</sup> m. Febr. a. 1920<sup>o</sup> directae (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.13.0.1.19). - Quamvis in illis epistulis nulla nomina indicentur, tamen suspicio quaedam proferri liceat. Nam ex Patribus, qui in castris Sidi Bishr versabantur, tantummodo tres in comparatione aliorum inter iuniores numerari possunt, nempe P. Benno Heckel atque P. Magnus Meiller, qui illo tempore triginta duos annos nati erant, et P. Pancratius Pfaffel, qui triginta unum annos habuit. Reliqui inter triginta quinque

Cum autem eiectio omnium Germanorum et itaque etiam omnium missionariorum ex Africā orientali decretum esset, maior cura episcopi Thomae Spreiter erat condicio futura Vicariatūs Daressalamensis Praefecturaeque Lindiensis atque totius Africanæ missionis Benedictinae. Quamvis dictum esset nullas exceptiones fore, Thomas Spreiter spem numquam omnino deposuerat et usque ad ultimum temporis momentum, ut ita dicam, iterum iterumque conatus est sortem missionis Benedictinae mutare. Id quod eo difficilior erat, quia tota res satis diu protracta est et tempus futurum semper quadamtenus erat incertum.

Cum inter missionarios Benedictinos essent nonnulli Helvetii - hōc in conexū imprimis nominandi sunt P. Gallus Steiger, P. Xaverius Hasler, P. Hilarius Kaiser<sup>51</sup> - illi primo aspectū, quia cives Helvetiae erant, hōc decreto eiectionis non affecti esse videbantur. Tamen condicio non erat facillima,

---

atque triginta septem annos nati erant et ipse Villibrordus Lay quadraginta unum annos habuit atque Iosephus Damm quadraginta duos.

Alterā ex parte scitū dignum mihi esse videtur in iisdem castris Sidi Bishr anno 1918<sup>o</sup> lucubrationem exaratam esse, quā agitur de quaestione, quomodo bona rectaque methodus missionaria inveniri atque institui possit. Nomen quidem auctoris huius lucubrationis non innotuit, cum in archivo Suarzacensi tantummodo manuscriptum inventum esset, cui in medio in summā circiter triginta paginae desunt, et cuius textus paginā centesimā quinquagesimā interrumpitur. Tamen cursus cogitationum bene percipitur, quae imprimis spectant ad accomodationem invicem faciendam et missionariorum et indigenarum, cum auctori persuasum fuerit necessarium esse, ut missionarius in cultum civilem Africanorum unā ex parte profunde incumberet atque deinde fidem Christianam ab formis genuine occidentalibus liberatam traderet, alterā ex parte ea monstraret, quae in cultū civili religioso Africano cum Christianitate congruerent et quae fidei Christianae contradicerent. Methodum autem missionariam inveniri ille auctor putavit, cum fundamenta theologiae pastoralis scientifica in condiciones culturales populi pagani systematice atque ordinatim converterentur, postquam missionarii totum cultum civilem populi euangelizandi noscere atque intellegere didicerunt. - Fusius atque diligenter in hunc textum incubuit Basilius DOPPELFELD: «Wichtige Probleme der Heidenbekehrung». In: Basilius DOPPELFELD (ed.): Mönche und Missionare. Münsterschwarzach 1988, pp. 55 sqq.

<sup>51</sup> Fuerant in initio etiam P. Stanislaus Seiler, qui mense Septembri a. 1916<sup>i</sup> in statione Kigonsera captivatus mense Iunio a. 1917<sup>i</sup> ad urbem Daressalam pervēnit, sed die 12<sup>o</sup> m. Apr. a. 1918<sup>o</sup> ibidem vitā functus est; P. Iohannes Häfliger, qui mense Maio a. 1918<sup>i</sup> unā cum nonnullis sororibus Tutzingensibus in patriam revertit, et Fr. Liborius Leutenegger, qui usque in finem anni 1919<sup>i</sup> in castris Sidi Bishr erat et deinde in patriam revertit. - *Cfr.* Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 308.

quia iidem nimis artē cum Germanis cooperati erant et itaque etiam quadam-  
tenus in suspicione erant. Nihilominus iidem statum paulo specialem habu-  
erunt et Thomas Spreiter semper speraverat fore, ut Helvetiis in Africā  
orientali remanere liceret. Itaque decreto vix divulgato episcopus P.rem  
Gallum Steiger die 6<sup>o</sup> m. Ian. a. 1917<sup>o</sup> modo scripto Provicarium suum de-  
stinavit, cui tunc omnibus in rebus officialibus loco episcopi agere licuit.<sup>52</sup>  
Paucis autem diebus post, id est die 15<sup>o</sup> m. Ian. a. 1917<sup>o</sup>, eum praeterea  
reddidit repraesentantem, qui in toto Vicariatū commoda, iura possessiones-  
que missionis catholicae usque ad finem belli administraret.<sup>53</sup> Episcopo  
autem Iohanne Biermans apud administrationem Anglicam intercedente  
contigit, ut P.ri Gallo Steiger licentia in Africa remanendi daretur.<sup>54</sup> Tamen  
īdem iureiurando subscripto confirmare debuit se nihil contra régimen prae-  
sens dicturum, scripturum, acturum esse, quod regimini noceret.

Hic quidem erat minimus successus.<sup>55</sup> Tamen condicio generalis non erat  
prospera, cum non solum ipse episcopus in custodiā domesticā retentus ad  
unamquamque actionem necessariam sibi licentiam petere coactus erat, sed  
īdem etiam pro reliquis missionariis Benedictinis hōc facere debuit. Praeterea  
commercium epistulare Thomae Spreiter censurae subiectum erat et insuper  
eidem solum duas epistulas septimanatim scribere licuit. Itaque factum est, ut  
communicatio etiam officialis, cum epistulae plerumque modo valdissime

---

<sup>52</sup> Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), pp. 14 sq. adn. 18 affert textum ex diario Thomae Spreiter depromptum, qui est hic: «*Thomas Spreiter Miseratione Divina et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Thaenitanus et Vicarius Apostolicus de Daressalaam Patri Gallo Steiger Salutem a Domino et benedictionem Nostram Episcopalem ... Te designamus et nominamus Provicarium nostrum et repraesentantem Nostrum in omnibus rebus spiritualibus et temporalibus in quantum facultatibus Nostris et iure canonico concedato fieri potest. Eodem modo, ut est Nobis possibile, deferimus Tibi ius delegationis, uno excepto casu, ut numquam sacerdoti iniuste invadenti aliquas facultates impertias.*» - Textus originaliter Latinus.

De re *cfr* etiam Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 308.

<sup>53</sup> *Cfr* Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 15; Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 308.

<sup>54</sup> *Cfr* Thomae Spreiter notitiae diariformes 24.3.1917, 27.3.1917 (ASO, A.1.8.1). - *Cfr* etiam Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 15; Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 308.

<sup>55</sup> Ut ex Thomae Spreiter notitiis diariformibus 3.8.1917 (ASO, A.1.8.1) apparet, episcopus pro reliquis Patribus Helvetiis eandem condicionem petivit ac P.ri Gallo Steiger concessa erat, sed illo tempore responsum quōque negativum accepit.

retardato et transportarentur et afferentur, vere difficilis esset.<sup>56</sup> Cura autem maxima episcopo atque missionariis erat in eo, quod stationes suae derelictae et maximā ex parte sine sacerdotibus erant.

Hanc condicionem inopportunam etiam Congregatio de Propaganda Fide vidit. Cum ergo tempus futurum Benedictinorum in Africā orientali esset incertum, quin etiam incertissimum, haec Congregatio P. rem Iosephum Laane, qui erat Nederlandus atque ad Patres Albos pertinebat, Administratorem Apostolicam Vicariatūs Daresalamensis atque Praefecturae Lindiensi reddidit, cum neque episcopus Thomas Spreiter neque Praefectus P. Villibrordus Lay, qui ad castra Sidi Bishr missus erat, officia sua explere iam valerent.<sup>57</sup> Tamen hic actus erat solutio necessitatis. Non autem Thomas Spreiter depositus erat neque ab ipso abdicatio ab munere exspectabatur. Sed hunc in modum regio missionaria Benedictina saltem aliquatenus atque

---

<sup>56</sup> Exemplum quoddam praebere volo, quod hodiernis lectoribus - imprimis linguae Latinae peritis - fortasse est hilare, sed illis, qui talibus difficultatibus subiecti erant, condicio certe neque iucunda neque opportuna erat. In epistulā die 23<sup>o</sup> m. Ian. a. 1919<sup>o</sup> ad Norbertum Weber directā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5) Thomas Spreiter archiabbati refert de conamine quodam, quod susceperat. Scripserat enim die 21<sup>o</sup> m. Nov. a. 1917<sup>o</sup> ad Praefectum Congregationis de Propaganda Fide epistulam Anglicam, quā eum rogavit, ut Benedictinos Anglos inveniret, qui in missione servandā auxilium ferre possent. Cardinalis Vilelmus Marinus van Rossum die 19<sup>o</sup> m. Iul. a. 1918<sup>o</sup> respondit epistulā Latine scriptā se nondum quicquam efficere potuisse (quam epistulam Thomas Spreiter die 20<sup>o</sup> m. Oct. a. 1918<sup>o</sup> accepit). Partes utriusque epistulae et Anglicae suae et Latinae cardinalis episcopus in litteris ad Norbertum Weber directis ad verbum attulit. Archiabbas autem in responso suo, quod Thomae Spreiter die 5<sup>o</sup> m. Iul. a. 1919<sup>o</sup> allatum est (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5), praeter alia scripsit se quidem explicationes episcopi de auxilio Benedictinorum Anglorum petito aliquatenus intellexisse, quamvis censor Vaticanum textum Latinum exsecuisset. - Censor ergo linguae Latinae non erat peritus et ex inscientiā suspicatus est ea, quae ipse non intellexit, esse periculosa.

<sup>57</sup> *Cfr.* Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 17; Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. *In:* Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 309; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation. *In:* Ulrich FAUST / Franz QUARTAL (edd.) (1999), p. 809; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermisionäre (1939), p. 52; Adelrich MÜHLEBACH: Benediktinermision in Ostafrika (1928), p. 203; Frumentius RENNER: Benediktinermision. *In:* Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 140; Lambert DOERR: Peramiho 1898-1998. In the Service of Missionary Church. I. Ndanda-Peramiho 1998, p. 88; Siegfried HERTLEIN: Benediktinische Missionsmethode in Ostafrika. Idee und Wirklichkeit. *In:* Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.): Zukunft aus empfangenem Erbe. St. Ottilien 1983, p. 103.

provisorie curari potuit. Etiam si Thomas Spreiter ex ratione hōc intellexit, nihilominus interdum hanc condicionem non ita bene sustinuit, cum adhuc se Vicarium responsalem sentiret et speraret se bello finito munus suum denuo suscipere atque explere posse.<sup>58</sup>

P. Iosephus Laane iam mense Iunio a. 1917<sup>i</sup> in urbem Daressalam advēnit.<sup>59</sup> Īdem autem caute atque circumspecte egit et omnibus in rebus decernendis agendisque consultationes cum Thoma Spreiter habuit. Etiam alios Patres Albos accire valuit, ut in stationibus missionariis relictis auxilium ferrent. His operibus susceptis Patres Albi, quamvis ipsi satis multos labores proprios haberent, de regione missionariā Benedictinā optime meriti sunt, id quod etiam episcopus Thomas Spreiter grato animo agnovit.<sup>60</sup>

Tamen ipse in emolumentum missionis operari non desiit. Iterum iterumque saltem parvos effectūs adipisci conatus est. Sic ex. gr. Thomas Spreiter iam die 27<sup>o</sup> m. Dec. a. 1918<sup>o</sup> rogavit, ut missionariis Benedictinis iterum in stationes suas reverti liceret. Tamen die 18<sup>o</sup> m. Ian. a. 1919<sup>o</sup> - ut expectandum erat - responsum negativum allatum est.<sup>61</sup> Similiter cum medio anno 1919<sup>o</sup> audiret restrictiones, quibus Germani subiecti erant, praeter censuram tunc sublatam iri, episcopus statim petivit, ut missionarii denuo in stationibus suis pristinis operari possent. Sed iterum petitio reiecta est, quod non mirandum erat.<sup>62</sup>

Sed inde ab mense Ianuario a. 1919<sup>i</sup> condiciones generales aliquatenus

---

<sup>58</sup> De sensibus interioribus Thomae Spreiter hac in re *cf.* ex. gr. Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 17; Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 309.

<sup>59</sup> Illo tempore P. Iosephus Laane adhuc solum propositus erat ad munus suscipiendum, sed anno 1918<sup>o</sup> officialiter factus est Administrator Vicariatūs Daressalamensis et deinde anno 1919<sup>o</sup> Administrator quōque Praefecturae Lindiensis. - *Cf.* Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), p. 88; Godfrey SIEBER: Zululand (1976), p. 57.

<sup>60</sup> De hac re *cf.* Thomae Spreiter epistulae gratiarum agendarum, quarum textūs affert Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 31; Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 315.

<sup>61</sup> *Cf.* Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 22. - De hōc conamine eiusque effectū Thomas Spreiter etiam rettulit in epistulā die 23<sup>o</sup> m. Ian. a. 1919<sup>o</sup> ad Norbertum Weber directā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5).

<sup>62</sup> *Cf.* Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 24; Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 321. - Tamen paucis diebus post licentia praebita est, quā statio Kurasani iterum ab Benedictinis - saltem ad tempus - curari posset.

mutatae sunt, quibus possibilitates remanendi magis minuebantur. Nam mense Ianuario a. 1919<sup>i</sup> Horatius [*Horace*] Byatt Anglus redditus est primus gubernator regionis Tanganyikae, quae tunc appellabatur, quo facto omnes res deinde de Anglico ministerio rerum externarum dependebant. Iam die 24<sup>o</sup> m. Febr. a. 1919<sup>o</sup> duodecim Benedictini, id est tres Patres, tres Fratres et sex sorores, in Germaniam remissi sunt.<sup>63</sup>

Quamquam iam mense Decembri a. 1918<sup>i</sup> indicatum erat omnibus missionariis Africam orientalem relinquendum esse, res omnino clara manifesta que reddita est Versaliensibus stipulationibus pacis die 28<sup>o</sup> m. Iun. a. 1919<sup>o</sup> factis, cum ibidem omnibus missionariis Germanis in pristinis coloniis Germanicis atque in terris rerum publicarum consociatarum operari interdiceretur.<sup>64</sup> Tali condicione vigente putandum esset Thomam Spreiter tunc tandem aliquando spem remanendi deposuisse.<sup>65</sup> Sed quomavis realitatem clare

---

<sup>63</sup> *Cfr* Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 22; Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 321.

<sup>64</sup> Agitur de paragrapho 438 foederis pacis. - Hunc paragraphum operibus missionariis Germanorum inopportunitissimum fuisse et eorum labores euangelizandi illo tempore maxime debilitatos esse manifestum est. - Hęc problema iam illo tempore diversimode disputabatur, cum quidam interitum missionis Germanicae viderent, alii vero nihilo minus spem quandam ex quibusdam locutionibus in illo paragrapho exhibitis haurirent. - De hac disputatione *cfr* ex. gr. Joseph SCHMIDLIN: Der Todesstoß gegen die deutschen Missionen? *In*: Zeitschrift für Missionswissenschaft 9, 1919, pp. 191 sqq.; Joseph SCHMIDLIN: Sind unsere deutschen Missionen gerettet? *In*: Zeitschrift für Missionswissenschaft 9, 1919, pp. 263 sqq.

De hac re *cfr* etiam ex. gr. Ernst DAMMANN: Die deutsche Mission in den ehemaligen deutschen Kolonien zwischen den beiden Weltkriegen. *In*: Klaus J. BADE (ed.): Imperialismus und Kolonialismus. Wiesbaden 1982, pp. 289 sq., qui praeterea putat illas angustias difficultatesque ab missione catholicā facilius superari potuisse, quia Germanici Ordines religiosi ab Congregationibus ex aliis civitatibus exoriendis substitui potuerunt. Hęc quidem generaliter non falsum est, tamen condiciones catholicorum missionariorum Germanicorum similiter difficiles erant, cum etiam aliae Congregationes religiosae satis multa opera propria habentes non ex improvise omnes eorum labores suscipere valerent.

<sup>65</sup> Per totum tempus administrationis Anglicae Thomas Spreiter, quamvis iterum iterumque repulsas acciperet, conamina sua omnino frustrata esse non credidit et in Vicariatū suo tam diu manere voluit, quam fieri potuit. Haec eius perceptio rerum etiam in eius epistulis invenitur. Sic ex. gr. in epistolā die 14<sup>o</sup> m. Mart. a. 1919<sup>o</sup> ad Norbertum Weber directā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5) scripsit se nondum consilia exarata pro tempore futuro habere, sed se iam deliberare, quid sub quibusdam condicionibus faciendum esset. Et subiunxit necessarium esse, cum missio iterum

videret, nihilominus nihil inexpertum omittere voluit. Nam saepius ab Anglicis iam annuntiatum erat reliquos missionarios quōque brevi in patriam remissum iri, sed nihil factum erat. Inde episcopus spem quandam concepit.

Itaque Thomas Spreiter mense Ianuario a. 1920<sup>i</sup> denuo licentiam acquirere conabatur, quā Benedictini sine restrictione in Africā orientali manere valerent.<sup>66</sup> Mandavit enim Benedictinis adhuc praesentibus,<sup>67</sup> ut singuli epistulariter petitionem ad secretarium administrationis Anglicae scriberent,<sup>68</sup> quā causis indicatis rogarent, ut mansio in regione missionariā eis permitteretur. Ipse autem episcopus scripsit haec:<sup>69</sup>

*«Secundum proclamationem n. 1 anni 1920<sup>i</sup> ab honorabili Administratore die 2<sup>o</sup> m. Ian. datam causas tibi indico, ex quibus nos Benedictini hic in coloniā remanere desideramus.*

- 1. Manere hic volumus, quia vocationem Salvatoris nostri divini secuti sumus, qui dixit: «euntes in mundum universum praedicate euangelium omni creaturae.»<sup>70</sup>*
- 2. Manere hic volumus, quia ab Ecclesia catholica per superiores nostros missi sumus. Imprimis egomet ipse missus sum ab Sanctitate Sua, Papa, uti potestates meae comprobant mihi impositae nomine Papae ab Congregatione de Propaganda Fide. Idem comprobatur titulo meo: «Vicarius Apostolicus», qui significat repraesentans Domini Apostolici, id est Pa-*

---

incoharetur, ut in initio nonnullae stationes remanerent sine missionariis. Die 13<sup>o</sup> m. Oct. a. 1919<sup>o</sup> ad Bonifatium Sauer (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19) scripsit se tam diu sustentaturum esse, quam vires sufficerent. In epistulā, quam die 27<sup>o</sup> m. Nov. a. 1919<sup>o</sup> ad Norbertum Weber misit (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5), affirmavit, quamquam principia, quibus omnes in patriam remitterentur, non essent mutata, se, etiamsi hōc periculum respiciendum esset, spem non deponere. Et denique in epistulā die 9<sup>o</sup> m. Dec. a. 1919<sup>o</sup> ad Bonifatium Sauer directā (ASO, Zentralarchiv, Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19) adhuc scripsit omnes firmiter credere missionarios in patriam redituros esse quam missionarii ipsi. Quamquam nuntii certi non exstarent, se reditum fore nondum credere.

<sup>66</sup> Cfr Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 321; Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 26; Godfrey SIEBER: Zululand (1976), p. 58 adn. 4.

<sup>67</sup> Erant illo tempore adhuc triginta duo missionarii Benedictini, ex quibus maior pars erant sorores.

<sup>68</sup> Textum huius epistulae Thomas Spreiter ipse composuerat.

<sup>69</sup> Textus originaliter Anglicus, qui die 20<sup>o</sup> m. Ian. a. 1920<sup>o</sup> scriptus est. - Eundem exhibet Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), pp. 646 sq. (in Appendice).

<sup>70</sup> Mc 15,16.

*pae.*

3. *Manere hic volumus, quia usque nunc nemo nostrum, neque ego ipse, ab auctoritate ecclesiasticā revocatus est.*
4. *Manere hic volumus, quia hic non sumus ut sodales alicuius nationis, sed ut missionarii et apostoli Christi, cum divulgatio euangelii non sit opus nationale, sed opus supranationale, et praeterea opus divinum.<sup>71</sup>*
5. *Manere hic volumus, quia plus quam triginta annos hic sumus - inde ex anno 1888° - atque solum huius terrae est tinctum sanguine sodalium nostrorum. Tres interfecti sunt die 13° m. Ian. a. 1889° in loco Pugu in propinquo urbis Daressalam inter seditionem Arabum. Septem interfecti sunt seditione indigenarum anno 1905°, inter quos erat praedecessor meus, Reverendissimus episcopus Cassianus Spiss. Praeterea alii decem interfecti sunt et sexaginta quattuor usque nunc vitā functi sunt, omnes propter vocationem suam.*
6. *Manere hic volumus, quia indigenas adiuvare volumus, usque dum ab missionibus nostris removebimur. Ante bellum plura milia discipulorum in scholis nostris habuimus, in unāquāque statione missionariā homines aegrotos curavimus, suscepimus tutelam quinque stationum leprosorum, insuper paucam curam praebere potuimus coloniae leprosorum iuxta urbem Daressalam sitae. Desideramus et cupimus priores labores nostros philanthropicos denuo exhibere.*

*Solum obiter adnoto praedium sororum nostrarum, Simbasi, urbi copiā satis magnā lactis holerumque suppeditare. Sed scopus noster principalis non est labor agrestis, sed salvatio animarum.*

*Optime autem intellego post hōc bellum terribile alicui regimini esse alicuius momenti, num missionarii extranei paganis hac in regione euangelium praedicent.*

*Auctoritates Britannicae praesentes, quae nunc hanc coloniam per plures quam tres annos gubernant, multam occasionem habuerunt, qua sensūs*

---

<sup>71</sup> Eandem cogitationem Thomas Spreiter iam profert in epistula die 13° m. Oct. a. 1919° ad Bonifatium Sauer directā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19), ubi scripsit haec: «*Ut missionarii hic sumus, legati Dei, non repraesentantes alicuius nationis.*» (Textus originaliter Theodiscus). Et subiunxit aliquando persuasionem necessario victuram esse, qua *verus* missionarius supra nationalitatem esset et esse deberet. - De huiusmodi cogitationibus *cf.* etiam Norbert WEBER: Mission und Politik unter besonderer Berücksichtigung der gegenwärtigen Lage der deutschen Missionen. In: Friedrich SCHWAGER (ed.): Der Düsseldorfer Missionskurs für Missionare und Ordenspriester 7.-14. Oktober 1919. Aachen 1920, pp. 142 sqq. (*cf.* supra cap. 4.4.3).



*nostros percipere potuerunt. Omnem debitam oboedientiam omnemque respectum regimini semper tribuimus et semper abstinuimus atque abstinuimus diligenter ab omni participatione rerum politicarum.*

*Nos omnes parati sumus ad opera nostra missionaria continuanda et laborare desideramus cum regimine cooperatione amicali omnibus in rebus, in quibus facultates missionis iuste exspectari possunt et promittere parati sumus sinceritatem nostram erga régime exhibere atque eandem in mentibus Christianorum discipulorumque nostrorum in scholis promovere secundum verba Sancti Pauli ad Romanos: «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.»<sup>72</sup>*

*Propter has omnes causas supra expositas spero fore, ut tu, domine, eas benigne deliberare velis, et spero fore, ut nobis omnibus permissionem hic remanendi des.*

*Si - ut confidenter spero - priores nostros labores continuare permittitur, suspicor comprobationem nobis tributum iri, quā numerus in praesenti valde exiguus missionariorum suppleri potest, hunc in modum nobis possibilitatem praebens, ut stationes nostras missionarias abolitas iterum instituamus atque illis sodalibus nostrae communitatis iter in Europam concedamus, quibus urgender necessaria est mutatio climatis et qui statim post comaeatum Europaeum revertentur.»*

Ex hac petitione apparet episcopum Thomam Spreiter illo tempore, quo eam scripserat, aliquatenus bonae spei adhuc fuisse, cum non solum causas, ex quibus commorationem in Africā orientali necessariam atque rationabilem esse putaret, exhiberet, sed etiam de condicionibus futuris concedendis iam mentionem faceret.<sup>73</sup> Sed etiam hōc conamen frustra factum erat.<sup>74</sup> Nam

---

<sup>72</sup> Rm 13,1.

<sup>73</sup> Tamen uno mense post effectum positivum huius petitionis fore non iam creditit. Nam in epistolā die 20<sup>o</sup> m. Febr. a. 1920<sup>o</sup> ad Bonifatium Sauer directā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19), Thomas Spreiter de petitione missā rettulit et subiunxit, cum usque ad hunc diem nullum responsum accepisset, satis certum esse Benedictinos manere non posse.

<sup>74</sup> Videntur autem postea rumores exorti esse, quibus Thomae Spreiter opprobrio dabatur eum atque Benedictinos in Africā orientali manere potuisse, nisi episcopus nationalismo exaggerato condiciones mites Anglorum refutavisset. De hac re aliquid comperimus in diario Thomae Spreiter (ASO, A.1.8.1). Idem enim die 13<sup>o</sup> m. Aug. 1931<sup>o</sup> scripsit sibi ab archiabbate Chrysostomo Schmid miram quaestionem transmissam esse, quam P. Matthias Hallfell, unus ex Patribus Albis et redactor periodici

quattuor mensibus post, id est die 21<sup>o</sup> m. Apr. a. 1920<sup>o</sup> petitio recusabatur.<sup>75</sup> Bene autem intellegitur, qualis fatigatio interna ex talibus vicissitudinibus et tot conaminibus iterum iterumque frustratis, quae cum parvulis progressibus commixta erant, exoriatur.

Tamen Thomas Spreiter non erat unicus, qui in hanc regionem missionariam Benedictinis servandam incubuerat. Nam sacerdos Americanus Franciscus [*Francis*] Kelley,<sup>76</sup> qui satis bonas relationes cum Anglico ministerio rerum

---

Augustae Treverorum editi, cui titulus erat «Nuntius Africae» [*«Afrikabote»*], ei proposuerat. Thomas Spreiter textum epistolae P. ris Matthiae Hallfell descriptum in diario suo exhibet, ubi legitur narrationes exhibitas esse Anglos modo benignissimo Benedictinis proposuisse, ut in Africā orientali manere et opera sua continuare possent, si neque verbis neque factis quicquam contra coloniale régime Anglicum perpetrarent. Episcopum autem ter interrogatum unāquāque vice propositum vehementer respuisse. Hunc in modum episcopum ex nationalismo exaggerato regioni missionariae florenti magnum damnum attulisse. Ipse P. Hallfell subiunxerat se, cum Thomam Spreiter nosceret sciretque eum talem non esse, hanc narrationem primo refutavisse, deinde summopere dubiam existimavisse. Tamen veritatis historicae causā P. Hallfell rogavit, ut explicationem acciperet. Ad hanc epistolam Thomas Spreiter in diario suo adnotavit ne ullum verbum huius narrationis esse verum et esse aenigmaticum, quomodo tales fabulae exoriri possent et insuper crederentur. - Thomas Spreiter paulo post ipse epistolam explicatoriam ad P. rem Hallfell scripserat (*cf.* diarium, 17.8.1931).

Rumores illos etiam commemorat Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 326; Godfrey SIEBER: Zululand (1976), p. 58 adn. 4 adnotans Thomam Spreiter iure meritoque se defendisse. Aliter Frumentius RENNER: Ostafrikamission. *In*: Leuchter II (1992), p. 141, qui hōc in conexū de taciturnā, sed certā traditione scribit. Idem illos rumores statim credidit, quamquam - ut ipse confitetur - testimonia scripta non exstant Thomam Spreiter hunc in modum se gessisse. Tamen Frumentius Renner iudicat, si condiciones Anglorum satis honestae erant, dolendum esse, quod Thomas Spreiter eas non accepit, quia eas refutare missioni erat perniciosum et erat eventus maximi momenti, quo Congregatio Ottiliana in tempus futurum omnino alium dirigebatur. Sed iudicium Frumenti Renner omnino nullum fundamentum in re habet, ut ex testimoniis fontium et ex generalibus scopis Anglorum, quos post primum bellum mundanum in coloniis habebant, apparet. - Nihilominus quaestio manet, a quo et quibus ex causis tales rumores instigati sint.

<sup>75</sup> *Cfr.* Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 26; Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 322. - Unusquisque autem missionarius propriam epistolam recusationis accepit.

<sup>76</sup> Franciscus Kelley, sacerdos Americanus (1870-1948), anno 1920<sup>o</sup> ab Vaticano in Angliam missus erat, ut difficultates, quae post primum bellum mundanum propter missiones Germanicas atque Americanas exortae erant, componeret. Idem autem anno 1924<sup>o</sup> episcopus dioecesis Oclahomae redditus est.

exterarum habuit, Congregationes missionarias Germanicas adiuuare voluit. Similiter cardinalis Franciscus [*Francis*] Bourne, archiepiscopus Vestmonasteriensis eundem finem assequi in animo habuit, quā de causā idem cum Francisco Kelley artē cooperatus est. Etiam Congregatio de Propaganda Fide necnon ipse archiabbas Norbertus Weber ad régime Anglicum se convertentes rogauerant, ut Benedictinis in pristinam regionem missionariam reverti liceret.<sup>77</sup> Tamen etiam haec omnia in irritum ceciderunt.<sup>78</sup>

Responso negativo ad petitionem mensis Ianuarii a. 1920<sup>i</sup> accepto, reliqui Benedictini ad reditum in patriam se praeparare debuerunt. Tunc omnino clarum erat ipsos in Africā orientali remanere non posse. Ultima ergo spes, ut opera quaedam missionaria in Africa orientali continuari possent, posita erat in Patribus Helvetiis. Huiusmodi deliberationes iam exstabant inde ex illo tempore, quo Angli administrationem Africae orientalis susceperant. Sed non


---

<sup>77</sup> *Cfr* Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 35; Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 326; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 96.

<sup>78</sup> Etiamsi archiabbas Norbertus Weber omnia fecit, quae potuit, tamen deliberationes quasdam proprias habuit, ut ex commercio epistulari cum Abbate Primate Fideli von Stotzingen apparet. Cum enim - ut in epistulā die 26<sup>o</sup> m. Sept. a. 1919<sup>o</sup> scriptā (ASO, Z.1 (Asien)) refert - in colloquio cum cardinali Villoredo Marino van Rossum, Praefecto Congregationis de Propaganda Fide, in Helvetiā habito comperisset vix fieri posse, ut Patres nationis Germanicae in Africā orientali remanerent, proposuit, ut parva pars missionis Africanae ab Patribus Helvetiis sustentaretur atque retineretur. Sed iam illo tempore confitebatur se generaliter illam magnam regionem missionariam non illibenter amittere, quia eādem Ottiliani ab traditione Benedictinā abstraherentur. Epistulā die 26<sup>o</sup> m. Nov. a. 1919<sup>o</sup> ad Fidelem von Stotzingen directā (ASO, Z.1. (Asien)) Norbertus Weber de re sollicitus scire voluit, quid definitive de regione missionariā fieret, cum condicio adhuc esset omnino incerta. Sed etiam proposita quaedam diligenter deliberata iam habuit, quomodo progrediendum esset. Consilia autem eius sunt haec: Si Ottiliani revera totam regionem denuo acciperent (quod revera non putat), se instanter rogare, ut partem quandam aliis missionariis dare liceret (tamen quōque rogavit, ne missionarii Ottiliani quicquam de hac re comperirent). Sed Norbertus Weber putavit esse bonam occasionem regionis minorandae. Vicariatum Daressalamensem sive Patribus Albis sive alii Congregationi tradi posse. Si revera solum Patribus Helvetiis reverti liceret, eos partem regionis Lindiensis suscipere posse. Existimavit autem archiabbas his propositis solutionem simplicissimam totius rei praeberi. Affirmavit autem se haec proposita in emolumentum missionis protulisse, quia necessarium esset, ut Ottiliani ad principia sua in Africa orientali neglecta reverterent, nempe ut vita monastica Benedictinaque cum operibus missionariis coniungeretur. - Hae deliberationes atque proposita Norberti Weber tamen non sunt miranda, cum eius generalem perceptionem missionariam in mentem revocemus (*cfr* supra cap.4.4).

solum episcopus Thomas Spreiter sic cogitabat, sed etiam proposita archiabbatis Norberti Weber eandem directionem habebant.<sup>79</sup>

Itaque variis ex causis iam mense Septembri a. 1919<sup>i</sup> ab archiabbatiā Ottiliensi domus quaedam Benedictina in Helvetiā condita est. Hoc factum est loco Uznach iuxta lacum Turicum sito et ad rem instituendam curandamque



*P. Adalricus Mühlebach.*  
[Leuchter III (1990), p. 202/3.]

missus erat P. Adalricus Mühlebach, qui ipse ex Helvetia exoriundus erat.<sup>80</sup> Imprimis necessaria fuerat domus procuratoria, quae dicitur, ut materiae ex civitate neutrali ad regiones missionarias mitti possent. Praeterea post primum bellum mundanum erat aptus locus, quo Patres Fratresque recreari potuerunt. Sed omnino utilis erat haec Helvetica domus Sancti Benedicti, quia ibidem etiam in terrā neutrali facilius colloquia institui potuerunt, quibus quaestiones quaedam missionariae disputabantur. Sed deinde ille locus etiam magni momenti factus est, cum ageretur de missione Africanā denuo instituendā.

Iam die 30<sup>o</sup> m. Nov. a. 1919<sup>o</sup> p. Iosephus Laane administrationem Anglicam officialiter roga-  
verat, num Helvetii P. Xaverius Hasler et P. Hilarius Kaiser in regione Lindiensi auxilium ferre possent. Revera die 10<sup>o</sup> m. Dec. a. 1919<sup>o</sup> subsidii causā ad tempus eis hōc concessum est.<sup>81</sup> P. Xaverius Hasler itaque iam mense

---

<sup>79</sup> *Cfr* ex. gr. epistulae Norberti Weber diebus 25<sup>o</sup> m. Maii a. 1918<sup>o</sup>, 26<sup>o</sup> m. Sept. a. 1919<sup>o</sup>, 26<sup>o</sup> m. Nov. a. 1919<sup>o</sup>, 29<sup>o</sup> m. Apr. a. 1920<sup>o</sup> ad Fidelem von Stotzingen datae (ASO, Z.1 (Asien)).

<sup>80</sup> De hac fundatione *cfr* ex. gr. Ivo AUF DER MAUR: St. Otmarsberg/Uznach. *In*: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), pp. 94 sqq.; Ivo AUF DER MAUR: Abtei St. Otmarsberg. *In*: Leuchter III (1990), p. 343; Beda DANZER: Benediktinerregel (1929), p. 82; Frumentius RENNERT: Entfaltung. *In*: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), pp. 29 sq.; Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 331; Missionsbenediktiner. Ein Klosterführer durch vier Kontinente. St. Ottilien 2008, p. 73. - P. Adalricus Mühlebach de domo recenter condita, cuius Superior erat, et de fundatione firmandā bene meritus erat.

<sup>81</sup> De hac re refert Thomas Spreiter in epistulā die 31<sup>o</sup> m. Dec. a. 1919<sup>o</sup> ad Norbertum Weber datā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5). - *Cfr* etiam Beda DANZER: Benediktinerregel (1929), p. 80; Siegfried HERTLEIN: Missionsmethode

Februario a. 1920<sup>i</sup> illuc profectus est,<sup>82</sup> quem deinde P. Hilarius Kaiser secutus est. Quamvis fuisset successus quidam sub aspectū, quo Benedictini iterum Christianos sibi commissos curare potuerunt,<sup>83</sup> tamen Thomas Spreiter nondum credidit esse gressum ad regionem missionariam saltem partim servandam. Tamen die 21<sup>o</sup> m. Apr. a. 1920<sup>o</sup> episcopus P. rem Gallum Steiger superiorem regularem reddidit,<sup>84</sup> hoc significat eundem, quod attinebat ad res monasticas, deinde fuisse superiorem illorum missionariorum Benedictinorum, qui in Africā orientali versabantur. Sed erat īdem dies, quo repudiatio ultimae petitionis allata erat.

Mense Iulio a. 1920<sup>i</sup> denuo ab administratione Anglicā nuntiabatur reliquos missionarios Germanos brevi in Germaniam transportatum iri. Hac vice Thomas Spreiter nuntium revera esse difinitivum accepit et ultimas praeparationes ad res ordinandas atque terram relinquendam fecit. Postquam P. Gallus Steiger die 25<sup>o</sup> m. Aug. a. 1920<sup>o</sup> urbem Daressalam reliquit, ut etiam ad regionem Lindiensem se conferret ibi laboraturus,<sup>85</sup> Thomas Spreiter denique

---

(1983), p. 103; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermisionäre (1939), p. 53; Adelrich MÜHLEBACH: Benediktinermision in Ostafrika (1928), p. 204; Frumentius RENNER: Ostafrikamission. In: Leuchter II (1992), p. 141; Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), p. 91.

<sup>82</sup> *Cfr* Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 338.

<sup>83</sup> Iam ex illo tempore, quo Patres Fratresque ab stationibus suis amoti sunt, magna cura Benedictinis erat condicio Christianorum in stationibus et in earum propinquitate habitantium, cum ab sacerdotibus essent derelicti. Patres Albi aliique missionarii pro viribus lacunas aliquatenus explere conati quidem sunt, sed etiam iidem non ubique esse potuerunt, cum eis quōque praeterea inopia cooperatorum esset. Illis autem in locis, in quibus catechetae indigenae vivebant, condicio Christianitatis quadamtenus bene se habuit. Tamen plures petitiones ab Christianis indigenis exhibitae sunt, quibus vehementer rogaverunt, ut ipsis iterum sacerdotes mitterentur. - De hōc conexū *cfr* ex. gr. Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 310 sqq. - Eandem condicionem, qua inde ab initio primi belli mundani in Africā orientali ubique missionarii (etiam protestantici) atque sacerdotes deerant, cum ab stationibus suis ut hostes extranei amoti essent, etiam describit Louise PIROUET: East African Christians and World War I. In: Journal of African History 19/1, 1978, pp. 118 sqq., sed subiungit solutionem huius problematis non inventam esse in eo, ut indigenae ordinarentur sacerdotes.

<sup>84</sup> *Cfr* documentum die 21 m. Apr. a. 1920 ab Thoma Spreiter exaratum (ASO, Dar-es-Salaam 3 (Z.1.03)). - *Cfr* Godfrey SIEBER: Benediktinermision in Ostafrika. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 327.

<sup>85</sup> *Cfr* Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 31.

die 5<sup>o</sup> m. Sept. a. 1920<sup>o</sup> - decem diebus antequam Africam orientalem reliquit - P. rem Iosephum Laane Provicarium suum reddidit scribens haec:<sup>86</sup>

*«E vicariatu Nostro Daressalamensi Nobis ab Apostolica Sede indigno concredito eiectus et paratus proficisci: ad maiorem dei gloriam, conservandum augendumque fidem et fidelium salutem, auctoritate Sedis Apostolicae iussus per litteras no. 1765/929 die 26 mensis Iunii huius anni, tenore praesentium Te in Domino designamus et nominamus*

*PRO-VICARIUM NOSTRUM, SUBSTITUTUM NOSTRUM,  
ET REPRAESENTANTEM NOSTRUM*

*in omnibus rebus spiritualibus et temporalibus, in quantum id fieri potest secundum ius canonicum ac facultates Nostras. Eodem modo, ut est Nobis possibile secundum leges ecclesiasticas, deferimus Tibi ius delegationis. Simulacque Tibi ac omnibus patribus ex imo corde gratias maximas agamus pro omni caritate ac cura quibus Tu et omnes in hac miserrima vinea Domini usque adhuc collaborastis. Porro Te in Domino deprecamur ut etiam in posterum omnia bona spiritualia observes, morbos spirituales cures et bona spiritualia proteges, non solum quae missionis sunt, sed etiam quae sunt Sancti Ordinis Nostri. In quorum fidem praesentes manu propria subscriptas sigillo Nostro expediri volumus.»*

Sic res erat finita et Thomas Spreiter die 15<sup>o</sup> m. Sept. a. 1920<sup>o</sup> in portū Daresalamensi unā cum duobus Patribus, novem Fratribus conversis atque octo sororibus navem ascendit Africam orientalem relicturus atque patriam petiturus.<sup>87</sup> Ad archiabbatiam autem Ottiliensem die 24<sup>o</sup> m. Nov. a. 1920<sup>o</sup>

---

<sup>86</sup> Textus originaliter Latinus. - Eundem affert Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 648 (in Appendice). - Cum omnino manifestum esset Benedictinos manere non posse, Congregatio de Propaganda Fide epistolā die 28<sup>o</sup> m. Iun. a. 1920<sup>o</sup> datā Thomae Spreiter iam suaserat, ut administrationem Vicariātūs P.ri Iosepho Laane traderet eumque Provicarium suum redderet. Cfr Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 27 sq; Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 322 sq.

<sup>87</sup> Cfr Thomae Spreiter epistula die 14<sup>o</sup> m. Oct. a. 1920<sup>o</sup> ad Fidelem von Stotzingen data (ASO, Z.1 (Asien)), quā ex nave scribens de profectione suā deque aliis rebus refert. - Cfr etiam Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 33; Godfrey SIEBER: Zululand (1976), p. 58; Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 27 sq; Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 325. - Solum annum indicant Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation. In: Ulrich FAUST / Franz QUARTAL (1999), p. 809; Frumentius RENNER: Ostafrikamission. In: Leuchter II (1992), p. 140; Adelrich MÜHLEBACH: Benediktinermission in Ostafrika (1928), p. 203.

advēnit.<sup>88</sup>

Postquam Benedictini Germani unā cum praeposito regionis missionariae Africam orientalem reliquerunt, Vicariatus atque Praefectura iterum ordinari debuerunt, cum non exspectandum esset eos proximo spatio temporis reversuros esse. Ut hōc fieri posset, primo necessarium erat, ut Vicarius Apostolicus Thomas Spreiter officialiter ab munere se abdicaret.<sup>89</sup> Semianno post reditum suum die 27<sup>o</sup> m. Maii a. 1921<sup>o</sup> īdem illo tempore Romae versatus officium Vicarii Daressalamensis deposuit ad Praefectum Congregationis de Propaganda Fide mittens documentum hōc:<sup>90</sup>

*«Belli causa et rerum politicarum perdurante iniquitate expulsus sum ex Vicariatu Apostolico de Dar-es-Salaam mihi commissio, sito in Africa Orientali olim Germanica, nec spes adest eo revertendi. Quare, ut Vicariatus praedictus tradi possit aliis missionariis nec amplius careat administratoribus ordinarie institutis - simulque ego novam missionem liberis humeris suscipere possim, renuntio huic praedicto Vicariatu de Dar-es-Salaam officiumque hoc in Sanctitatis Vestrae manus repono.»<sup>91</sup>*

Interea autem Ottiliani non manserunt desidiosos, quod attinebat ad missionem Africae orientalis. Cum Patres Helvetii quōque tantummodo manendi licentiam temporariam haberent, hac in re aliquid faciendum erat. Conamina suscepta demum anno 1921<sup>o</sup> ad effectum adducta sunt, cum Patres Helvetii, qui adhuc in regione Lindiensi operabantur, die 10<sup>o</sup> m. Aug. a. 1921<sup>o</sup> ab

---


<sup>88</sup> Cfr Chron. Ottil. m. Nov. a. 1920; Godfrey SIEBER: Zululand (1976), p. 58; Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 325; Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 36.

<sup>89</sup> Praeterea aliter Thomas Spreiter novam regionem missionariam, de quā illo tempore iam consuluit, accipere non potuisset.

<sup>90</sup> Textus originaliter Latinus. - Eundem exhibet Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 654 (in Appendice). - Cfr etiam Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 328; Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 46.

<sup>91</sup> Scilicet Praefectus Congregationis de Propaganda Fide resignationem hanc accipiens Thomae Spreiter gratias egit pro laboribus in missione exanclatis. - Cfr epistula die 30<sup>o</sup> m. Iun. a. 1921<sup>o</sup> scripta, quae est haec: *«Gratum mihi est hac occasione Amplitudini Tuae toto corde gratias agere de laboribus, per plures annos exanclatis, ad fidem propagandam. Et cum S.C. bene noscat quae quantaque egeris in Catholico nomine apud illas miseras gentes provehendo amplissimas Tibi impertitur laudes.»* - Textum originaliter Latinum divulgavit Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), p. 654 (in Appendice).

administratione Anglicā nuntium officialem acciperent, quo manendi permissio definitiva eis data est.<sup>92</sup> Tamen condiciones magis stabiliendae erant, quia missionarii Lindienses cooperatoribus indigebant. Itaque P. Adalricus Mühlebach iam pridem consultationes instituerat atque petitiones miserat, quibus rogavit, ut «Helvetii Benedictini Uznacenses» agnoscerentur societas



*P. Gallus Steiger.*  
[ *Godfrey SIEBER (2003), p. 358.* ]

missionaria sui iuris esse. Régimen autem Anglicum hanc agnitionem die 21<sup>o</sup> m. Febr. a. 1922<sup>o</sup> officialiter prae-buit.<sup>93</sup> Hic erat successus satis magnus, quod attinet ad opera Ottilianorum. Hunc enim in modum ex domo Uzna-censi Patres atque Fratres Congregatio-nis Ottilianae sine maiore difficultate in Africam orientalem mitti potuerunt.

Tamen diutius quōque consultationes cum Congregatione de Propaganda Fide instituebantur de quaestione, quid de totā Benedictinā regione missionariā pristinā fieret. Ad effectum adductae sunt hae consultationes anno 1922<sup>o</sup>. Nam die 22<sup>o</sup> m. Febr. a. 1922<sup>o</sup> Praefec-tura Lindiensis Helvetiis Benedictinis Ottilianis tradita est et P. Gallus Steiger factus est Apostolicus Praefectus huius

regionis.<sup>94</sup> Sic saltem pars quaedam prioris regionis missionariae Con-

---

<sup>92</sup> Thomas Spreiter in diario suo die 29<sup>o</sup> m. Oct. a. 1921<sup>o</sup> (ASO, A.1.8.1) adnotavit se a P.re Xaverio Hasler epistulam hunc nuntium continens accepisse et etiam textum Anglicum huius permissionis ibīdem descripsit. - *Cfr* etiam Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 329; Godfrey SIEBER: Inkamana (1995), pp. 15 sq.

<sup>93</sup> *Cfr* Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), p. 92; Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 332; Adelrich MÜHLEBACH: Benediktinermission in Ostafrika (1928), p. 205; Ivo AUF DER MAUR: Abtei St. Otmarsberg. *In*: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 343; Siegfried HERTLEIN: Missionsmethode (1983), p. 103.

<sup>94</sup> AAS 14, 1922, p. 166. - *Cfr* Godfrey SIEBER: Bischof Gallus Steiger. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 359; Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), p. 92; Beda DANZER: Benediktinerregel (1929), p. 82; Cyrillus WEHRMEISTER: Benedik-



gregationi Ottilianae servata est.

Prior autem Vicariatus Daresalamensis in duas partes divisa est. Apostolicus Vicariatus Daresalamensis, id est pars maior et haec quidem orientalis, traditus est Helvetico Ordini Fratrum Minorum Capuccinorum. Separabantur vero regiones Ugogo et Uhehe magis in septentrionali-occidentali parte sitae, quae in Apostolicam Praefecturam Iringam formatae sunt. Eandem Taurinense missionarium «Institutum Sacerdotum a Consolata» acceperunt.<sup>95</sup> Res autem officialiter constituta est die 3<sup>o</sup> m. Mart. a. 1922<sup>o</sup>.<sup>96</sup>

---

tinermisionäre (1939), p. 53; Adelrich MÜHLEBACH: Benediktinermision in Ostafrika (1928), p. 206; Frumentius RENNER: Ostafrikamission. In: Leuchter II (1992), p. 142; Siegfried HERTLEIN: Missionsmethode (1982), p. 103.

<sup>95</sup> Quamvis multi Ottiliani deploravissent Vicariatum Daressalamensem fuisse amissum, Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermisionäre (1939), p. 54 emolumentum quōque vidit. Nam - ut scripsit - his rebus constitutis tunc tres consociationes missionariae in illā regione operabantur, in quā antea solum una erat. Praetera - ut ad condiciones sequentes spectans adnotavit - regio quaedam deinde missionarios accepit, quae antea nullos habuerat.

<sup>96</sup> AAS 14, 1922, pp. 221 sq.: «*Quae rei sacrae procurationi melius gerendae conducant et catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniat, ea ut mature praestemus, Nos admonet supremi apostolatus officium, quo divinitus in terris fungimur. Iamvero, cum vicariatus apostolicus de Dar-es-Salam in Africa orientali per expulsionem Missionariorum Congregationis O.S.B. a Sancta Ottilia, nationis Germanicae, orbatus propriis Pastoribus manserit, Nostraque idcirco indigeat ope, Nos, collatis consiliis cum VV.FF.NN. S.R.E. Cardinalibus negotiis Propaganda Fidei praepositis, haec quae infrascripta sunt statuenda censuimus. Nimirum missionem eandem curis adsignamus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Asisiensis Capulatorum e provincia Helvetica; itemque, cum ab occidentali parte vicariatus enuntiati, ut ibidem maiora fidei incrementa promoveantur, opportunum consilium visum sit nonnullas regiones dismembrare, Nos, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, a dicto vicariatu de Dar-es-Salam duas regiones sic separatas, in praefecturam apostolicam sub nomine **de Iringa** erigimus, curis concredendam Sacerdotum Instituti Taurinensis B.V.M. a Consolata. Limites autem novae huius praefecturae de Iringa definiantur a linea, qua, a quodam puncto fluminis Ruaka prope stationem Vidunda incipiens, sequatur ad meridiem praecipitium aliorum montium de Uchungwe ita ut promontoria adscribantur vicariatus de Dar-es-Salam usque ad medium inter fluvios Ruipa et Mgeta; unde, mediam tenens viam inter praedictos fluvios, perducatur ad flumen Kilombaro, vulgo **Ulanga**, cuius insula magna addicatur dicto vicariatus; deinde sequatur cursum fluminis Kilombaro usque ad punctum quo, tangens flumen Pitu, nomen sumit Ruhudje; tandem sequatur cursum eiusdem fluminis usque ad lacum Nyassa ex quo scaturagines habet.»*

Denique anno 1926<sup>o</sup> etiam Germanis missionariis iterum permissum est, ut Africam orientalem ad opera sua exhibenda intrarent.<sup>97</sup> Cum hoc decretum ad omnes consociationes missionarias (etiam ad varias consociationes protestanticas) spectaret, etiam Otiliani Germani labores suos illā in regione denuo suscipere valuerunt.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 193, 2013, pp. 337-370]

---

*Cfr* Beda DANZER: Benediktinerregel (1929), p. 81; Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), p. 92; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 54; Adelrich MÜHLEBACH: Benediktinermission in Ostafrika (1928), p. 204; Frumentius RENNER: Ostafrikamission. In: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 141.

<sup>97</sup> *Cfr* ex. gr. Ernst DAMANN: Deutsche Mission. In: Klaus J. BADE (ed.) (1982), pp. 291 sq.; Louise PIROUET (1978), p. 120; Beda DANZER: Benediktinerregel (1929), p. 83; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation. In: Ulrich FAUST / Franz QUARTAL (ed.) (1999), p. 809; Frumentius RENNER: Ostafrikamission. In: Leuchter II (<sup>2</sup>1992), p. 142; Adelrich MÜHLEBACH: Benediktinermission in Ostafrika (1928), p. 220; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 50; Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), p. 103.